



Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Fidejussor.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10421

Sextò, in feudorum successione est locus usque ad septimum gradum, *ca. 1. §. hoc autem sciendum, qui infundare possunt*: nisi feudum sit constitutum nomine, etiam tituli, regni, dominatus, Comitatus, aut Marchionatus, in his enim ad centesimum gradum successio progreditur, *Bald. in cap. 1. de feudo Mar. Covar. de success. ab intestato, numero 12.*

FIDEJUSSOR.

Primò, fidejussor non liberatur exhibendo illum, qui aufugit pro quo fidejussit, *Boer. decis. 217. nu. 12. & seq.*

Secundò, potest petere executionem sententiæ contra reum, sine aliquo processu, si solvit pro eo, *decis. 277. n. 4.* & ibi videto, ad quid teneatur, qui carcerato suadet, ut è carcere fugiat, vel facit fugere, & eximit è manu familiæ iudicis.

FISCUS.

Primò, an Episcopus habeat fiscum, videto *Dyn. pra. crim. Can. 134.* & *Cov. l. 2. c. 9. var. resol.* Fiscus, Ecclesia, ac minor æquiparantur, *Abb. in c. ex literis, n. 11. de pign. & Afflict. consti. regni. in prelud. 9. 15. in fine.*

Secundò, Fiscus appellat de jure communi, *Vinc. de Franc. decis. 148. n. 6. & 7.* an, & quando in dubio, vel aliàs feratur sententia contra fiscum? Vide *Covar. lib. 1. c. 16. var. resol.*

Tertiò, deputatio procuratoris fiscalis, etiam si procedatur contra personas capitulares, pertinet ad Episcopum, abs-

que consilio Capituli, ita sac. Congre. dicit fuisse declaratum die 22. Septembris 1573. in facto ad Cardinalem Paccichum Archiepiscopum Burgenf. de *Icar. 461. in meis.*

Quartò instante procuratore fiscali, Episcopus potest esse iudex in causa suæ Ecclesiæ, etiam ad retractandum ea quæ ipsemet fecit, *Navar. consti. 20. numero 9. de rescript.*

FUNUS CORPORIS DEFUNCTI.

Primò, an funus, & expensæ factæ circa funus Episcopi, ut puta candelæ, intorticia, vestes lugubres, tam servitoribus, quam consanguineis factæ, cantarus, culcitra, seu cortina serica, debeant fieri ex spoliis provenientius ex bonis relictis ab Episcopo defuncto, an sumptibus consanguineorum? Vide *Cappyc. decis. 84.* ubi partim affirmat, partim negat, prout *ibi.*

Secundò, an expensæ, quæ fieri debent in funere alicujus mortui, sint accipiendæ ante æs alienum, etiam si creditores ex hoc præjudicium paterentur? Vide *Cov. in cap. Raynaldus, §. 3. nu. 1. de testam.* ubi dicit affirmativè, & *lib. 2. cap. 1. numer. 10. & 11. var. resol.* & idem sit de expensis factis in infirmitate, vide *Vinc. de Franc. decis. 51. num. 1. 2. 9. & 10.* vide *Dyn. in cap. qui prior. num. 14. de reg. jur. lib. 6.*

Tertiò, cadaver, sive divitis, sive inopis debitoris non potest, nec debet ad petitionem creditoris insepultum detineri, ut pignus quoddam, donec æs alienum integrè solvatur. *Covar. loc. cit.*